



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

Romae, 1658

Tiburtius Bolina Episcopus Isernien.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

Archiepiscopatum recusavit, & Valentiniū ex obedientia suscepit. A senectute: quia Archiepiscopus factus, viginti quatuor millia aureorum quotannis, excepta pecunia, & tritico diuinitus aucto, nec retento lectulo, in quo iam iam moriturus iacebat, egenis distribuit. Quæsiuit autem quæ sunt Iesu Christi: quia salutem animarum, quæ Dei sunt, vigilantissimè conquisiuit. Operarios misit ad Indos: Concilio Tridentino etiam absens profuit: Ecclesiasticam disciplinam restituit. Prædicatione, ieiunio, oratione, proprioquè effuso sanguine, animas Deo lucrari fatiguit. Delicta Ecclesiasticorum in se puniens, & semetipsum pro illis hostiam Deo offerens, suo cruore emendauit. Tantoquè amore in Deum exarsit, vt aliquando per duodecim horas in extasi conuersaretur in coelis: vnde consueuerat dicere: Anima mea renuncia libertati: vertito in naturam, vt toto pondere properes in Deum tuum: Ex quo tanquam carbo igitus, lucerna ardens, cereus accensus, in Dei amore totus consumptus est. Quare censeo, tutò posse à Sanctitate Vestra inter Cœlitès solemniter numerari. Idque cedit in maximam Dei gloriam: in Ordinis Episcopalis ornamentum: in Religionis Augustinianæ singulare beneficium: in totius Ecclesiæ adificationem: Principum Christianorum pacem: & quam peperit Canonizatio Sancti Nicolai sub Eugenio, dabit Canonizatio Sancti Thomæ sub Alexandro.

Tiburtius Bolina Episcopus Ifernien.

Beatissime Pater. Pastor bonus ille Thomas à Villanoua humilis & pauper, diues Cœlum ingressus est: quia pingues redditus Ecclesiæ suæ Valentiniæ, quos patrimonium pauperum appellabat, in cœlestes thesauros manus eorum deportauerunt: vnde adhuc tanta charitate inflammatus semper vixit, vt cuidam pauperi lectulum, in quo iam iam animam Deo daturum se sperabat, alacritè sit elargitus: qua re delectatus Deus voluit tam amplianda annona, quam alijs huiuscemodi prodigiosis signis, Sanctitati Vestræ argumentum præbere, vt illum Sanctorum numero adscriberet, sicuti supplex deprecor adseribi, cum Christi Domini Nostri paupertatem tam enixè sit imit-

imitatus, vt æque nascens, viuens, ac moriens, nuditatem illius
visus sit ad amare.

Ioseph Battaglia Episcopus Montis Marani.

Beatum Patrem Thomam de Villanoua Archiepiscopum Va-
lentiæ, dignum censeo, qui ad maiorem Dei gloriam, & Ec-
clesiæ utilitatem, in Sanctorum numero referatur, quia virtutes
coluit omnes in gradu heroico, & præcipuè gloriosum se reddi-
dit in pastoralis sollicitudine, miraculis claruit, & ipse maximum
miraculum fuit.

Alexander Aegyptius Episcopus Andriensis.

Eximia virtutum cunctarum laude Beatus Thomas à Villa-
noua cumulatus, Beatissime Pater, ad subsidia pauperum
profusus, ad animarum lucra peruigil, constantia in improbos,
in probos clementia, moderatione sui, coniunctione cum Deo,
veram Præfulis & sanctitatem, & gloriam est assecutus. Oppor-
tunum itaque ad Antistitem ornatum, ac incitamentum existi-
mauerim, vt S. V. suo, quo Deus loquitur, ore; Virum hunc
omni virtutum complexione spectabilem, Sanctorum fastis ad-
scriptum afferat Coelo.

Franciscus Densa Episcopus S. Seueri.

Cum; Beatissime Pater, sanctitatis, & virtutum omnium
fundamentum sit sui ipsius abnegatio, & voluntatis unio
cum Deo per dilectionem ipsius, & perfectam charitatem in
proximum, ex quibus oritur humanarum rerum contemptus,
in secundis moderatio, in aduersis patientia, in afflictos com-
miseratio, in pauperes ardens amor, & deniquè perfectissima,
verissimaquè iustitia, quæ operatur magna, & reputat parua, ope-
ratur multa, & reputat pauca, operatur diu, & reputat breue; Cūq.

O omnia